



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Cap. 9. Satisfit allis argumentis adversariorum à dissonantiâ
Evangelistarum petitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

ita habuisset, Codex traditionis errorem vitasset.

XIII. Replicabis secundò, Beda & Euthymius citati pro hâc traditione etiam existimant Africanum errasse: Nam dum Africani sententiam referunt, pro Melchi quod est in epistolâ Africani, ipsi in suis scriptis posuerunt *Mathat* quod est in Evangelio Luca: Respondeo negando id ab iis ideo factum quod in Africano quidquam reprehensibile aut corrigendum duxerint, sed quia cum esset liberum utrovis nomine uti, præsertim cum ipsi non ipsa Africani verba referrent sed sensum, maluerunt eo uti nomine quod erat in authentico Codice ad majorem claritatem, utpote qui istius Codicis authentici Interpretes agerent, non alterius.

XIV. Objicies ultimò, Africanus ipse qui est primus Author seu testis hujus præsentis traditionis de hâc re loquitur cum timore, neque firmo assensu, sed dubio & vacillanti profert quæ de Divi Josephi Genealogiâ ex ipso supra adduxi. Nam apud Nicephorum lib. I. hist. Tripart. c. I. ubi eadem Africani epistola refertur quæ apud Eusebium, hæc lego. *Sive res ita se habeat, sive alio modo ita existimandum, quamvis certum desit testimonium, ob id quod clarior aut verior expositio proferrî non potest.*

XV. Respondeo primò, cum Eusebius ex quo debuit Nicephorus Epistolam illâ Africani desumpsisse, & de facto desumpsit, non habeat verba illa in objectione producta; proculdubio non sunt verba Africani, & ideo additamentum mihi valdè suspectum: maximè verò quod Trithemius Author gravissimus lib. de Scriptoribus in Eusebio nihil unquam additum, aut subtractum usque ad sua tempora Editioni Eusebii doceat. Quare cum ex Eusebio epistolam illam Africani primo referente constet verba illa non esse Africani, nescio quid debeam judicare de illo additamento apud Nicephorum.

XVI. Respondeo secundò, sive verba illa sint Nicephori, sive Africani, per hæc neuter intelligit se non esse certum de iis quæ docet in illâ epistolâ Africanus, sed per hoc innuit tantum se non habere authenticam aliquam scripturam undè id probare possit: cujus rei ratio-

nem suggerit Africanus, eodem loco dicens quod *Herodes cum summam potestatem teneret, videns quod hujusmodi generis indicia si permanerent, obscuritatis sibi plurimum quærerent, ignobilitatis sua conscientia exagitatus, omnes libros in quibus conscriptio generis habebatur jussit incendi, æstimans se nobilem videri posse si novitius esse & advena Israelitici generis nullis conscriptionum fastis urgeretur.*

Ergò sensus objectionis ex Nicepho, adde etiam si velis, ex Africano iste erit. Quod etsi hoc ita non esset, quod scilicet ipsi Salvatoris nostri secundum carnem propinqui, hæc de illius Genealogiâ tradidissent, quodque illud in dubium aliquod revocari posset, propterea quod desit certum de hoc testimonium; ita tamen contigisse adhuc æstimandum foret, hocque modo & non alio hæc difficultas enodanda esset, ob id quod clarior ac verior expositio profertî nequeat.

CAPUT IX.

Satisfit aliis argumentis Adversariorum à dissonantiâ Evangelistarum petitis.



QUATUOR supra cap. 4. proposuimus argumenta, quibus Judæi, Ethnici, & Hæretici Evangelistas Mattheum & Lucam in descriptione Genealogie D. Josephi inter se discrepare & contraria sentire prætendunt: quorum primum illud fuit quod capitibus illud sequentibus & hoc præcedentibus dissolvimus. Restant alia tria quorum solutio nullius est laboris positâ solutione argumenti præcedentis. Primum est quod Mattheus Progenitores Divi Josephi usque ad David refert omnino diversos ab illis quos refert D. Lucas. Secundum, quod Mattheus à Davide usque ad Joseph numerat tantum viginti septem aut viginti octo Generationes, Lucas verò quadraginta tres. Denique quod Mattheus Salathielem qui genuit Zorobabel facit filium Jechonix, Lucas verò eundem facit filium Neri, quæ omnia discrepare & contraria esse constat: sed hæc omnia

Synopsis

Magnificè

D.

Josephi

SV

111

supposito quod D. Iosephus habuerit duos Patres, unum carnalem, alterum legalem, quorum hic unus, ille alterius lineam deducat evanescent.

I I. Primum quidem à duobus enim Patribus, inquit D. Augustinus tom. 6. lib. 3. contra Faustum Manichæum c. 3. *Iam non erit mirum neque contrarium quod & Avi duo & Avari & Proavi esse poterunt, & quidquid supra est usque ad David, cujus erant ambo filii, & Salomon qui pertinet ad ordinem quem Matthæus secutus est, & Nathan qui est in serie quam exposuit Lucas, & tom. 10. serm. 63. de diversis c. 17. Dicitur, duos filios potest habere homo, duos autem Patres non potest: Imò invenitur posse habere etiam duos Patres, si unus semine genuit, alius dilectione adoptavit: quod de adoptione per legem Deuteronomii explicavit idem ipse Augustinus lib. 2. Retract. c. 7. à nobis citatus supra c. 7. num. 9. & post pauca addit, Quod si potuit, quid calumniantur illi qui dicunt alias generationes secutum esse Matthæum, alias Lucam? Et revera invenimus quod alias secutus est ille, alias ille; nam Matthæus, Iacob, Patrem dixit Ioseph, Lucas autem Heli. Et potest quidem videri unus homo cuius filius erat Ioseph habuisse duo nomina; Sed quod Avos & Proavos, & alios superius progeneratores diversos enumerant, in quo ipsos plures alius, alius pauciores, manifestè ostenditur habuisse duos Patres Ioseph: jam remotà quæstionis calumniâ, quia fieri posse manifesta ratio demonstravit alium patrem esse qui genuit, alium qui adoptavit, duobus Patribus constitutis, non est mirum si Avi & Pro-avi & ceteri parentes sursum versus à diversis Patribus diversi numerentur.*

I I I. Ad hoc verò quod plures contineat generationes Lucæ Genealogia quàm Matthæi intellige à Davide usque ad Ioseph responderet D. Ambrosius lib. 3. in Lucam, dicens: *Non mireris cum per alias personas generationem fatearis esse decursam. Potest enim fieri ut alii longævam transegerint vitam, alterius verò generationis viri immaturâ aetate decesserint, cum videamus complures senes cum nepotibus vivere, alios verò viros statim filiis obire susceptis. Eodem modo D. Augustinus lib. 1. quæstion in Genesim quæst. 121. In illo quippe ordine, inquit,*

ubi plures nominantur citius mortui sunt quam ubi pauciores.

Hæc responsio satisfaceret si ageretur de successione personarum, seu substitutione unius personæ in locum alterius defunctæ, hoc enim pacto quo citius morerentur eo plures succederent quæ morientium locum caperent: sed non de hoc est hic quæstio, sed de successione Generationum, ad quod nihil facit quod qui generant citius aut tardius moriantur aut vivant, quandoquidem illorum longevitas qui tardius moriuntur non impediatur, ut nec mors adproperata illorū qui minus vivunt promoveatur prolium à se genitarum successivam originem: videt enim per se diu viventes non tantum filios suos, sed etiam filios filiorum suorum usque ad quartam generationem. Quare mihi videtur respondendum quod in unâ Genealogiâ sint plures quàm in alterâ, id inde provenire, partim quod isti citius nupserint & genuerint quàm hi, quod posse fieri clarum est, partim quod ea in qua plures sunt, sit ex primogenitis qui genuerint dum altera forte non est, nisi ex pluribus natu minoribus, natu majoribus utique immaturè antequam genuerint extinctis. Partim denique quod Matthæus qui pauciores recenset plures Reges & eorum generationes consilio & datâ operâ prætermiserit, uti indignos, de quo postea.

Ad ultimum, quomodo scilicet possit esse verum quod Salathiel à quo Zorobabel sit simul filius Jechoniæ, ut dicitur apud Matthæum, & filius Neri ut dicitur apud Lucam? Respondent alii Salathielem habuisse duos Patres, ut diximus de D. Iosepho, unum naturalem, alterum legalem, alii ut Maldonatus in Matth. c. 1. unum naturalem scilicet Jechoniam, alium affinitate scilicet Neri, alii Salathielem & Zorobabelem, quos numerat Matthæus alios esse ab illis quos numerat Lucas, ac proinde non mirum quod alii sint Pater & Avus horum respectivè, alii istorum. Atque in hac sententia fuisse omnes antiquiores satis ex eo patet, quod Africanus, Eusebius, Gregorius Nazianzen. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & reliqui hanc difficultatem non curarint, existimantes per hoc solutam

solutam quod ostenderint Jacob & Heli esse duas personas distinctas, ac proinde à distinctis usque ad David in quo concurrunt Progenitoribus descendentes.

VI. Objicies ex Jansenio Gandavensi in Concord. Evangelic. cap. 14. ad illud Lucæ cap. 3. *Ut putabatur filius Joseph qui fuit Heli.* Legalem filium in uxore defuncti suscitare erat res patris germani: id quod apud Judæos est extra controversiam. Et satis probatur ex verbis Moysi. Inquit enim primò, *Quando habitaverint fratres simul*, quod non contingit nisi ex eodem Patre natis: Nam qui diversos habent Patres, diversas etiam capiunt hereditates, in quibus cum habitant, non habitant simul. Secundò subdit, *Uxor defuncti non nubet alteri.* Vel ut habet Hebræa ad verbum. *Non erit uxor defuncti foris viro aliena.* Nubit autem foris viro alieno cum traditur marito qui non sit è domo viri sui prioris. Tertiò, jubet lex ut eam accipiat frater defuncti: pro frater autem in Hebræo est *Iabam*, quod nomen in universa Scriptura, inquit Jansenius, non significat nisi fratrem germanum ex eodem patre. Atqui Jacob qui dicitur à nobis suscitasse Heli improli filium, scilicet D. Josephum, non fuit frater germanus Heli, ut constat: quia Jacob descendit ex Davide per Salomonem, Heli verò per Nathan: ergò non est verum quod dicimus Jacob fuisse Patrem carnalem Joseph, Heli verò legalem.

VII. Respondeo primò *Iabam*, in quo facit majorem vim Jansenius apud Hebræos, ut frater apud Latinos, non tantum significare ex eodem Patre genitos, sed etiam ex eadem matre: sunt enim & hi verè fratres: ergò non tantum priores, sed etiam hi cõprehenduntur hæc lege Deuteronomii sub termino isto *Iabam*. Propterea Cardinalis Cajetanus pro *Iabam ducet eam uxorem*, legit ex Hebræo, *Levir accipiet eam sibi in uxorem & levirabit eam*, id est frater mariti (qualis est etiam ex eadem matre licet alio Patre genitus) ducet eam & suscitabit semen defuncto fratri.

VIII. Respondeo secundò Ruth. cap. 4. Booz ex Ruth Moabitide, uxore Mahalonis sine liberis defuncti ei suscitatur

filium, qui dictus est Obed: Atqui Booz non erat frater germanus, imò nec ex Matre Mahalonis defuncti, imò non ita propinquus. Alter enim propinquior (qui nec ipse frater erat Mahalonis) cesserat Boozo jus suum, ut patet ex historiâ loco citato. Non ergò fuit necesse ut qui suscitabant improlibus filios, essent fratres ex eodem patre geniti, aut etiam ex eadem Matre, sed fratris seu *Iabam* nomen ad cognatos omnes extendebatur.

IX. Id ipsum patet ex mente & sine legis de suscitando semine: voluit enim lex providere ut sine liberis defuncti nomen non periret de Israel, ut patet ex ipso textu legis. At si non extendetur obligatio suscitandi seminis ultra fratres germanos ex eodem Patre, non sufficienter providisset lex casui cui voluit providere, cum potuerint innumerari contingere casus in quibus defuissent tales, immò plures quam in quibus adfuissent: Quare ne lex suo frequenter sine frustraretur, oportuit omninò ut fratribus deficientibus, intelligerentur proximiores obligari, vel etiam illis fortè renuentibus possent hi istorum supplere defectum & socordiam.

X. Utitur tamen Scriptura termino *Iabam*, qui significat fratrem, tum ut hos primò ac determinatè ligaret: tum ut ceteri consanguinei intelligerent in illorum qui per nomen *Iabam* exprimuntur dispensatione à lege Levitici cap. 18. vers. 6. dicente, *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, &c.* Suam omninò & à fortiori contineri, tum denique ut intelligentes quàm seria erat voluntas Dei ut defuncto semen suscitaretur, quandoquidem ob hoc ita Deus dispensaverit in priori lege Levitici cap. 18. vers. 6. intelligerent consequenter fratribus deficientibus se teneri isti legi, aut his renuentibus se posse cum merito supplere illorum socordiam, & ita semper legem illam intellexerunt Judæi, ut ostendit exemplum Booz cum Ruth Moabitide & alia. Quod si aliter sentiant aut practicent nunc Judæi, ut vult Jansenius, hoc nihil contra nos: notum est enim omnibus Judæos qui habent legem dici esse

Synopsis

Moabitide
D.
Josephus
&c.

esse sine lege, quia scilicet, in eâ ubique cœcutiunt, & iusto Dei iudicio miserè errant.

XI. Ad illud, *quando habitaverint fratres simul*, quo utitur Jansenius ut urgeat intentum suum, nec intelligitur de fratribus habitantibus in eadem domo, nec in eadem domo poterant habitare simul fratres ex eadem matre & diversis patribus: & frater qui erat ex eodem patre cum defuncto, cui oportebat semen fulcitare, non habitabat amplius in eadem domo, etenim ductâ uxore relinquebat patrem & matrem & adhærebat uxori suæ. Sed verba illa significant fratres seu propinquos qui erant in Regionibus valdè distitis à loco ubi erat vidua defuncti non fuisse adstrictos deserere suos lares ut huic legi satisfacerent, quamvis tamen possent, ut patet etiam in exemplo prædicto Booz: Non enim hic quæsit Rutham in terrâ Moab, sed debuit ipsa Ruth venire ad Booz, si vellet ipsa in se legem illam adimpleri.

XII. Nec etiam facit pro Jansenio quod urget ex eadem lege, *Vxor defuncti non nubit alteri*, pro quo Hebræa habent, *Non erit uxor defuncti foris alieno viro*. Non enim nubit foris aut viro alieno qui nubit fratri ex eadem matre geniti, aut uni è consanguineis maximè propinquioribus defuncti: hi enim omnes dicuntur ex eadem domo, cognatione, familiâ, ut constat, & succedebant in bonis propinquorum defunctorum sine hærede.

CAPUT X.

Solvuntur reliqua argumenta contra Genealogiam.

I. **P**RIMUM eruitur ex his verbis: *Salmon genuit Booz de Raab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem*. Incredibile enim omninò videtur quod trecenti sex anni vel circiter in quatuor istis generationibus fuerint consumpti, ut consumptos fuisse necesse est & patet ex sequenti temporum calculo evidenti,

Nam primò, Salmon qui genuit Booz duxit Raab quando capta est Jericho: Secundò, capta est Jericho post 40. annos quibus fuerunt Hebræi in deserto ab egressu ex Ægypto statim in ipso introitu terræ promissæ. Tertio, Templum cœpit ædificari anno quadringentesimo octuagesimo ab egressu Ægypti, qui erat annus quartus Regni Salomonis, ut patet evidenter ex lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. ex quo annorum numero tollendo quadraginta annos quibus errarunt in deserto; deinde septuaginta annos quibus vixit David, & quatuor annos Regni Salomonis, qui insimul conficiunt centum quatuordecim annos, restabunt his deceptis ex prædictis 480. annis à captâ Jerichunte & conjunctione Salmonis cum Raab, usque ad nativitatem Davidis anni trecenti sexaginta sex aut circiter, quo tanto spatio quatuor duntaxat generationes decurrerint, quod quam absurdum sit patet, quia illud spatium in dictas generationes hoc vel simili modo distribuendum erit ut Salmon sexaginta sex annis post captam Jericho & ductam Raab genuerit Booz: Booz autem nò genuerit Obed, nec Obed Jesse, nec Jesse David Regem, nisi anno vitæ suæ centenariò: quæ distributio ita necessaria est ut quod uni detraxeris alteri necessariò addere debeas, ut illum numerum 480. annorum qui certissimus est invenias.

III. Propter hoc argumentum dicunt aliqui inter quos Nicolaus de Lyra, Hugo Cardinalis in c. 1. Matth. Ambrosius, Catharinus contra Caietanum. Genebrardus in Chronologiâ in *Aod & Abesam*, Salianus tom. 2. Annal. anno mundi 2781. à num. 26. & P. Celada in c. 1. Ruth, vers. 1 § 3. à num. 2. usque ad 10. fuisse tres Boozos quorum primus fuit filius Salmonis, secundus filius primi, tertius filius secundi: qui tertius duxit Ruth ex quâ genuit Obed. Ita ut in Genealogiâ Matthæi duo Boozzi prætermittantur.

IV. Confirmatur ex Josepho lib. 5. antiq. c. 5. ubi testatur historiam Ruth contigisse tempore Heli Sacerdotis, de quo lib. 1. Reg. atque adeo totis trecentis annis & amplius post captam Jericho, ut patet supputanti tempora judi-